



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Basilicae S. Mariae. Maioris De. Vrbe A. Liberio. Papa. I.  
Vsque Ad. Pavlvn. V. Pont. Max Descriptio. Et. Delineatio**

**Angelis, Paolo de**

**Roma, 1621**

Cap. VII. De quarta interna sacelli parte.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13873**

DE QUARTA  
INTERNA SACELLI  
PARTE.

Cap. VII.



Hæc pars, Aræ maximæ finistrum latus comprehendit, & ad Occidentem respicit. In medio prima corona cernitur, sub qua Sixti Papæ Quinti monumentum refulget, varijs ipso Pontifice gestis cælato marmore expressis, de quibus peculiariter inferius tradetur. Igitur huius ornatus illi est perfimilis, quem de Pio Quinto diximus; nec solum quo ad lapides, sed etiam modulum. Quia verò id monumentum sinistri lateris sacelli pars existit, haud alienum duximus illud describere. Ac ut à vestigio ordiamur. Soccus ex coruina constat, cui alter inhæret ex lapide Porta sancta; basis, Parastadis, & cymatium ex Carrariensi marmore; Cauum ex Orientali alabastrici; inter Parastadas spatia sub Sixti Quinti statua à lateribus ex aspilati, vbi elogia auro designata legimus.

SIXTVS QVINTVS PONT. MAX. CVPRIS AD LITTVS SVPERI MARIS IN PICENO NATVS, MONTALTI EDVCATVS, F. FÆLIX PERETTVS EX ORD. MINOR. THEOLOGVS, ET CONCIONATOR INSIGNIS, HAERETICAE PRAVITATIS INQVISITOR, SVI ORD. PROCVR. ET VIC. GEN. A PIO IV. PONT. MAX. CVM VGO NE BONCOMPAGNO CARD. LEGATO APOSTOL. IN HISPANIAM MISSVS. PIO V. PONT. MAX. OB SPECTATAE FIDEI ZELVM EXIMIE CARVS, AB EO EPISC. S. AGATHÆ, ET S. R. E. CARD. FACTVS, MAGNISQVE NEGOTIIS ADHIBITVS, SVMMO SACRI COLLEGII CONSENSV PONT. MAX. CREATVS, TOTO PONTIFICATV IVSTITIA, PRVDENTIA, ANIMI QVE MAGNITVDINE FLORVIT. BEATVM DIDACVM HISPANVM EX ORDINE FRATRVM MINORVM PHILIPPO REGE CATHOLICO SVPLICANTE IN SANCTORVM NVMERVM RETVLIT, CAPTIVS REDIMENDIS, PAVPERIBVS IN CVSTO-

A DIAM INCLVSIS AD AES ALIENVM DISSOLVENDVM, VIRGINIBVS DOTANDIS FRVCTVS ANNVOS ATTRIBVIT, VICTVM PER VRBEM OSTIATIM QVÆRENTIBVS DOMVM, IN QVA ALERENTVR ÆDIFICAVIT.

B HIPPOLYTO CARD. ALDOBRANDINO LEGATO IN POLONIAM MISSO CONTROVERSIAM INTER AVSTRIACAM DOMVM, ET SIGISMVNDVM POLONIE REGEM COMPOSVIT. EXVLVM, ET PERDITORVM HOMINVM LICENTIAM COERCVIT PVBLICAM TRANQVILLITATEM RESTITVIT. VRBEM ÆDIFICIORVM MAGNIFICENTIA, IN PRIMISQ. VATICANA TESTVDINE ORNAVIT AQVAM FAELICEM OPERE SVMPTVOSO ADDVXIT.

Vide Sixti Papæ V. bullam par. a. cons. xxxv.

C Columnarum basæ ex Carrariensi marmore constant, columnæ ex glarea marmore viridi, cum epystilijs ex albo marmore, quadris ex ifisto adiunctis. Zophorum rubra glarea cõponit, fastigium marmor parium; in cuius medio ex eadẽ materia Sixti Quinti insignia effulgent. Eiusdem Pontificis effigies ipsum egregiè referens flexis genibus, & palmis iunctis, Præsepium adorantem ex Carrariensi marmore est composita, sub quo in lydio lapide auro insculpta hæc verba notantur.

D SIXTO QVINTO PONTIF. MAXIMO EX ORDINE MINORVM ALEXANDER PERETTVS S. R. E. CARDIN. VICECANCELL. EX SORORE PRONEPOS PERFECIT.

E Supra verò eiusdem coronationis historia ex cælato marmore, anno 1585. velut ij affirmant, qui Romanorum Pontificum gesta tradiderunt. Anno Domini 1585. die natali Sanctorum Apostolorum Philippi, & Iacobi, Kalendis scilicet Maij, in gradibus ante fores Basilicæ Vaticanæ, &c. A dextris Didacus apparet inter Sanctos ascriptus, quod apud Sanctum Petrum in Vaticano fuit actum in veteris Ecclesiæ parte ijs temporibus superstite; postea verò à Paulo Quinto Pontifice diruta, & magnificentius restituta. Hoc autem solemne frequenti, & Catholica pompa Sixtus Papa, secunda die Iulij, anno 1588. Pontificatus sui quarto, agitavit, velut ex Bullario. Sancti Didaci de Sancto Nicolao, Provinciæ

Ciac. in vita Sixti Quinti.

Par. a. Bul. 19.

Vide Bullam Sixti Papæ V. par. a. cons. 14. m. 21.

uincia *Betica Hispani*, *Ordinis Minorum A*  
*Sancti Francisci canonizatio*, & *in Sanctorum*  
*Confessorum numerum*, & *in Cathalogum rela-*  
*tio*, illiusque festi, anno quolibet die xij. Nouem-  
 bris celebrandi praefinitio, cum officij pro eo, sicuti  
 pro vno Confessore recitatione, ac Indulgentia-  
 rum elargitione, &c. A laeva ex caelato mar-  
 more pax designatur inter Rodulphum Im-  
 peratorem, & Sigismundum Poloniae Re-  
 gem per Pontificem consecuta, cuius gratia  
 legatum a latere Hippolytum Aldobrandi-  
 num Cardinalem milit, qui postea ad Petri B  
 sedem euectus, Clementis Octauum nomen  
 seruauit, sicut ex Bulla. *Sixtus Episco-*  
*pus seruus seruorum Dei. Dilecto filio Hippolyto*  
*tituli sancti Pancratij, Presbytero Cardinali Al-*  
*dobrandino nuncupato, maiori Penitentiario,*  
*nostro ad Regem Poloniae, ac omnes illius Pro-*  
*uincias, dominia, ciuitates, oppida, & terras,*  
*eorumque, nec non illis adiacentia, & quacum-*  
*que alia loca, ad quae te declinare contigerit, no-*  
*stro, & Apostolicae Sedis de latere Legato, salut.*  
 &c. Cernuntur etiã Sancti Ioannis Laterani  
 aedes cum alijs heroicis gestis. A statuẽ dexte-  
 ra quaedam pia, & religiosã actiones occur-  
 runt eadem materia, atque opera impressã,  
 velut Hospitalium fundatio, Templorum  
 erectio, sed praesertim Sancti Petri in Vati-  
 cano tholi, triremium ad Christiani nomi-  
 nis securitatem constructio, puellarum con-  
 iugia, velut ex elogio deprehenditur. *Capti-*  
*uis redimendis, pauperibus in custodiam inclu-*  
*sis ad aes alienum dissoluendum, virginibus do-*  
*tandis, victum per urbem ostiatim quærenti-*  
*bus domum, in qua alerentur, edificauit.*

Vide Bull. Pape  
Sixti Quinti,  
par. 2. capit. 25.  
& Sermonem in  
vita eiusdem

A sinistro latere eodem pacto designan-  
 tur aduersus latrones acta, obeliscorum ere-  
 ctiones diuino numini dicatorũ, ac vt à La-  
 teranensi inchoemus, sic ad meridiem legitur:

CONSTANTINVS PER CRUCEM  
 VICTOR, A S. SILVESTRO HIC  
 BAPTIZATVS CRVCIS GLORIAM  
 PROPAGAVIT.

Ad Orientem verò.

F. CONSTANTINVS AVG. CON-  
 STANTINI AVG. FIL. OBELISCVM  
 A PATRE LOCO SVO MOTVM, DE-  
 NIQVE ALEXANDRIÆ IACENTEM,  
 TRECENTORVM REMIGVM IMPO-  
 SITVM NAVI, MIRANDAE VASTI-  
 TATIS PER MARE, TIBERIMQVE  
 MAGNIS MOLIBVS ROMAM CON-  
 VECTVM IN CIRCO MAXIMO PO-  
 NENDVM S.P.Q.R.D.D.

Ad Occidentem.

FL. CONSTANTINVS MAX. AVG.  
 CHRISTIANAE FIDEI VINDEXT, ET  
 ASSERTOR OBELISCVM AB AEGY-  
 PTIO REGE IMPVRO VOTO SOLI  
 DEDICATVM SEDIBVS AVVLVSVM  
 SVIS, PER NILVM TRANSFERRI  
 ALEXANDRIAM IVSSIT, VT NOVAM  
 ROMAM AB SE TVNC CONDITAM  
 EO DECORARET MONVMENTO.

Ad Septentrionem.

SIXTVS V. PONT. MAX. OBELI-  
 SCVM HVNC SPECIE EXIMIA, TEM-  
 PORVM CALAMITATE FRACTVM  
 CIRCI MAXIMI RVINIS, HVMO, LI-  
 MO Q. ALTE DEMERSVM MVLTÀ  
 IMPENSA EXTRAXIT, HVNC IN LO-  
 CVM MAGNO LABORE TRANSTV-  
 LIT, FORMAEQVE PRISTINAE AC-  
 CVRATE RESTITVTVM CRVCI IN-  
 VICTISSIMAE DICAVIT. ANNO DO-  
 MINI M. D. LXXXVIII. PONT. IV.

In illo verò Vaticani hæc adsunt. Et pri-  
 mum in Obelisco S. Petrum versus.

SANCTISSIMAE CRVCI SIXTVS V.  
 PONTIF. MAXIMVS CONSECRAVIT  
 E PRIORISEDE AVVLVSVM, ET CÆSS.  
 D AVGG. AC TIB. I. L. ABLATVM  
 M. D. LXXXVI.

In Parastade verò ad Occidentem.

CHRISTVS VINCIT. CHRISTVS  
 REGNAT. CHRISTVS IMPERAT.  
 CHRISTVS AB OMNI MALO PLE-  
 BEM SVAM DEFENDAT.

Ad Meridiem.

E SIXTVS QVINTVS PONT. MAX.  
 OBELISCVM VATICANVM DIIS  
 GENTIVM IMPIO CVLTV DICA-  
 TVM AD APOSTOLORVM LIMINA  
 OPEROSO LABORE TRANSTVLIT.  
 ANNO M. D. LXXXVI. PONT. II.

Ad Orientem.

ECCE CRVX DOMINI FVGITE  
 PARTES ADVERSAE, VINCIT LEO  
 DE TRIBV IVDA.

Ad Septen-

Ad Septentrionem.

SIXTVS QVINTVS PONT. MAX.  
 CRVCI INVICTAE OBELISCVM  
 VATICANVM AB IMPIA SVPERSTI-  
 TIONE EXPIATVM IVSTIVS, ET  
 FELICIVS CONSECRAVIT.  
 ANNO M. D. LXXXVI. PON-  
 TIFICATVS II.

A Idem in Obelisco legitur in sanctæ Mariæ  
 Populi area, qui lateranensi est per similis.  
 Quam verò integrè iustitiam seruavit aduer-  
 sus latrones, qui illo Pontifice vixere, possunt  
 rectè meminisse, & adhuc memoria viget,  
 velut ex bullario. Quod verò ad vias, fon- *Constit. 6. & 7.*  
 tes, atque id genus alia pro communi bono  
 tam Romæ, quam in Elceciastica ditione  
 patrata, spectat, & prædictis marmoribus cæ-  
 lata notantur, splendide in Bullario appa- *Constit. 64.*  
 rent.



Q RELI-